

1303 març 7. Vilafranca del Penedès

Guillema, esposa de l'infant Pere i senyor de Montcada i Castellvell, deslliga els nobles, cavallers, ciutadans i homes de les viles o altres llocs de tota obligació, jurament i homenatge en raó d'un contracte que ella ha signat amb el rei Jaume sota l'arbitratge i acord de Ramon, bisbe de València.

- A. Original pergamí, nº 94 (242 × 332 mm), en altre temps segellat, conservat a l'AHCG.
B. Còpia de A de principis del s. xiv conservada en el *Llibre Verd*, f. 179-180.

Absolució feta per madona Guilleuma de Moncada de sacrament e homenatge e feultat feta a ela.

Noverint universi quod nos Guillema, uxor incliti domini infantis Petri recolende memorie dominaque Montischatani et Castriveteris, attendentes quod contractus olim inter illustrissimum dominum Iacobum, Dei gratia regem Aragonum, Valencie et Murcie comitemque Barchinone et nos, initus super quibusdam civitatibus, castris et locis ac quibusdam aliis que ipse dominus rex nobis dedit et super quibusdam que nos eidem domino regi dedimus, est omnino recisus et ab eo utrumque dicessum et pronunciatus pro reciso instrumento et evacuato per arbitrium sive laudum venerabilium virorum domini Raimundi, Dei gratia episcopi Valentini, et domini ffratris^a Bonanati per eandem abbatis monasterii Sanctarum Crucium, arbitrorum et arbitratorum sive amicabilium compositorum. Quodquidem arbitrium et laudum tam nos quam dominus rex expresse approbavimus et laudavimus cum publico instrumento. Idcirco per nos et nostros absolvimus, diffinimus et quitamus cum testimonio huius publici instrumenti vicem etiam epistole gerentis omnes et singulos nobiles, milites, cives, homines villarum et alios, cuiuscumque status seu condicionis existant, et quoslibet ac singulos ex eis et generaliter universos sive universaliter pro universitatibus sive specialiter et nominatim singuli pro se ipsis nobis obligati existant, ab omni sacramento, homagio, fidelitate et qualibet alia obli-/179v/-gacione que dici possit, quibus nobis vel nostris tenentur, vel ex quibus nos vel nostri ipsos vel suos impetire, demandare vel convenire possemus racione contractus predicti, ita quod ex nunc nobis vel nostris ea de causa ipsi vel sui seu aliqui ex eisdem non teneantur nec demandari seu conveniri possint in iudicio vel extra aliqua racione per batalliam vel alio modo, immo ex nunc eos et suos et eorum singulos absolutos habemus de omnibus supradictis ac si facta non essent et quitios penitus appellamus. Preterea volumus et concedimus quod si aliquod instrumentum vel instrumenta facta de sacramento, homagio, fidelitate vel alia quacumque obligacione qua tenerentur vel nobis obligati essent pro predictis decetero appareant, sint cassa, irrita et inania et habeantur penitus pro instrumentis, ita etiam quod non possint nobis vel nostris prodesse nec ipsi vel sui possint inde imperiri vel modo aliquo conveniri. In quorum testimonium iussimus fieri presens publicum instrumentum.

Actum est hoc apud Villamfrancham de Penitensi, nonas marcii, anno Domini millesimo trecentesimo secundo.

Sig+num Guillelme, uxoris incliti domini infantis Petri recolende memorie predictae, que hec laudamus et firmamus.

Testes huius rei sunt: Bernardus de Scintillis, dominus castri sive domus de Terracia, Asbertus de Mediona, Bertrandus de Canellis, Asbertus de Vernetto, Berengarius de Sancto Vincencio, milites, Raimundus de Toylano, Guillelmus de Vallesicca et Iacobus de Montejudayco, iurisperiti. /180/

Sig+num Petri de Vilardebono, publici regia auctoritate notarii Barchinone et per totam terram et dominacionem illustrissimi domini regis Aragonum, qui hec scribi fecit et clausit loco, die et anno prefixis.

a. *Interlineat*, B.